



QUÆSTIONES ET CA[illegible]

EX ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS

CONGREGATIONIBUS PRESBYT. DIŒC. P[illegible]

A COLLEGIO EISDEM PRÆFECT[illegible]

AD RESOLVEN[illegible] [illegible]ROPOSITI[illegible]

ET RESOLUT[illegible]



EX THEOLOGIA MORALI

In Const. **Apostolicæ Sedis** Part. II
ab Art. XI usque ad XIV.

ARTICULUS XI.

„Omnes qui quæstum facientes ex indulgent. aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitut. S. Pii V. *Quam* ... *um* 2 Jan. 1569."

Quæstio 1. *Quo sen ... et qua extensione accipien ... Censura in art.* 11° *secundæ partis Const.* Ap. Sedis ... ?

Resp. Cum per Articulum Const. *Ap. Sedis* nihi ... vetur ... Const. S. Pii V. *Quam plenum* quod attinet ad excommuni- , non alio sensu accipien ... gis, quam il- semper habuerunt in præci ... Const., quam prorsus ... eidemque derogare, aut ... quilibet quæstus hac ... em proscripsit ac ... 3 quæstionis patebit. ... empe excommunicationem in- ... Episcopis inferiores; et ab ea- ... tenus erant exempti, Car- ... res.

... *Const. S. Pii V.* — ... *natur?*

... Prælati obnoxii e- ... perceptio... fruc- ... illis per ... hæc pœna ... ta, cum nulla ... Cardinalis, aut ... gravissimum ... obnoxius; ... iisdem

factæ, ex decreto S. Pii V.

Quæstio 3. *Quænam sunt bona spiritualia, ... quæ quæstum agentes excommunicationem incurrere judic... ur?*

Resp. Censura nunc vigens respicit illos t ... m abusus, qui in Const. *Quam plenum* explicite recensetur, et modo, atque adjunctis ibidem notatis committuntur. Excommunicati proinde sunt retinendi omnes, qui gratia gratis accepta abutentes, et temporalis lucri cupiditate allecti, damnatum quæstum exercere audent: 1º circa indulgentias; 2º circa indultam Missæ celebrationem, et ecclesiasticam sepulturam tempore Interdicti; 3º in tradita facultate utendi cibis vetitis; 4º sibi eligendi quemlibet, etiam simplicem Sacerdotem, p. ... ne a reservatis; 5º assumendi in Baptismate duos, ... trinos contra Decr. Conc. Trid.; 6º absolvendi a ... ura realis simoniæ, utut Apostolicæ Sedi reservata. M... porro et adjuncta dam nati ... s, ut sit objectum Censuræ, in eadem Const. *Quam plenu...* ...cantur, nempe per publicationem litterarum Ap. S... dis, quibus gratiæ gratis datæ erant obtentæ, earumdemque positionem velut in publicam venditionem, ita ut quili... ta soluta pecunia, posset iisdem facultatibus uti, easqu... plicare.

Quæstio 4. *Num eamd... ras quidem publicant quæst...*

Resp. Solutio quæstio... S. Pii V loquitur de soluta p... sequendi; aliquid proinde ext... tem legislatoris, imo cont... pecuniam assequendi n... retur.

Casus I. *Emidius P... sandi hinc inde a ci is ... in favorem alicujus f... cur membra ejus ... rum benignitate inde ... Peccavit ne Emidius ... sum, et si affirmative veluti quæstum agen...*

Resp. Ad P... tet, inducit ...

essent rationes, ex quibus familia illa beneficio dispensationis frueretur, · gative ad 2m, quia, etsi quæstum aliquando obtinuerit, illum nec modo a lege indicato (per publicationem nempe obt· facultatis), nec fine præcipuo illum sibi procurandi est assequutus.

Casus II. *Ernestus Sacerdos de virtute benedictionum suarum frequenter coram populo disserit, quibus indulgentias adnexas esse non raro declarat. Easdem pariter pluribus impertitur, sed iis fere semper tantummodo a quibus aliquam compensationem obtinendam dijudicat, quin tamen ipsam unquam exquirat. – Est ne reus turpis quæstus retinendus et hinc in art. C. A. S. comprehensus?*

Resp. Etsi imp Ernesti consuetudo, sive quia mercimonium sapit, andalum ingessit, nulla tamen ·tione in hoc art. con ditur; non enim quæstus ab eodem obtinetur circa bona spiritualia in ipsa lege indicata, nec ·do ab eadem præsignato, nec per lucri acquisitionem, quamvis aliquid hinc inde a bona fide fidelium obtineat.

ARTICUL ·S XII.

«Co··· ·s eleemosyn majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.»

Quæstio . *Quinam in sensu legis art. 12° C. A. S. retinendi sunt Colle· eleemosynarum pro Missis?*

Resp. . tendi sunt omnes illi, qui quoddam veluti mercimonium circa Missarum stipendia exercentes, eadem hinc inde sibi procurant, et parte stipendiorum sibi ipsis retenta, Missas celebrari curant, ubi minoris pretii esse solent. Cum hic non agatur de crimine (quod utique in hac re committi potest, quin censura incurratur, etiam cum oner· restitutionis), ad ipsam censuram incurrendam tria in colligente simul concurrere debent, nempe: *a)* collectio eleemosynarum alicubi majoris pretii, quam in aliis locis; *b)* celebratio Missarum in locis, ubi minori pretio celebrari solent; *c)* retentio pro se lucri tali modo percepti. Si unum, vel alterum in actu desit, erit quidem pec-

catum gravissimum, prout est ipsa lucrandi cupiditas in hisce rebus sanctissimis, sed agens censura non irretitur, uti si quis parvum Missarum semel collectarum numerum celebrari minori pretio ab aliis presbyteris curaret, servato sibi pretio redundante. Non enim esset veri nominis collector, quia in verbis legis satis indicatur quaedam habitualis collectio usu mercaturae faciendae, ita ut colligens verum lucrum inde percipiat. Non esset pariter excommunicatus, qui, lege in caeteris violata, utilitatem inde assequutam in aliquem pium usum erogaret, uti patet ex dictis: illicitum quidem faceret, sed non vetitum sub excommunicationis poena.

Quaestio 6. *Afficit ne dispos* [illegible] *a etiam illos, qui Missas celebrari curant iisdem in* [illegible] *facta est?*

Resp. Duae habentur opposi[illegible] affirmativa et negativa: utraque laudatis rationum [illegible] tis innixa, et neutra huc usque damnata, ita ut liceat alteratram in praxi pro lubitu amplecti. Affirmantes innituntur identitati rationis et finis legis, coercendi nempe, ac puniendi hoc turpe et [illegible] rilegum mercimonium, qui finis nullum respectu loci substa[illegible] le discrimen esse suadet. Adderem etiam, verba articuli Const. Pianae *in locis, in quibus* etc., nullum excludere locum, imo omnia loca quasi uno nomine comprehendisse, quod Const. Benedicti XIV ad omne dubium tollendum duplici vocabulo *ibidem vel alibi* expressit. Ergo etc. — Alterius sententiae defensores observant, in Constitutione Benedictina apertissime censura affici collectores, sive *ibidem*, sive *alibi* Missas collectas celebrandas curaverint, cum autem Const. Piana ea verba mutaverit in haec: *in locis, ubi stipendia minoris pretii esse solent*, ad loca diversa respicere videtur, ac proinde ab excommunicatione eximere illum, qui eodem, quo Missas collegit, ab aliis presbyteris celebrandas utitur. Idque ex eo confirmatur, quod inutilis prorsus esset illa conditio *in locis, ubi* etc., si legislator excommunicare voluisset quemcumque collectorem Missarum, qui minori pretio illas celebrandas aliis presbyteris cujuscumque loci tradere ausus esset.

Quaestio 7. *Quale discrimen inter novam Censuram C. A. S., et dispositionem Benedicti XIV in Costitutione* Quanta cura *statutas, retenta probabili sententia in solutione praecedentis quaestionis?*

Resp. Constitutio Piana differt a Benedictina, 1° in eo, quod duplicem censuram ad unam tantum S. P. Pius IX reduxit, nempe ad excommunicationem, cui obnoxios esse voluit tum clericos, tum laicos, sublata proinde suspensione reservata pro Sacerdotibus, de qua nulla amplius mentio recurrit in articulo nostro, eo quia suffecta est a graviori, nempe ab excommunicatione pariter reservata; 2° in eo, quod, in secunda sententia, ad eamdem contrahendam requiratur locorum diversitas inter collectionem Missarum earumque celebrationem.

Quæstio 8. *Afficiuntur ne eadem pœna eleemosynarum retentioni assentientes, et Missas minori pretio celebrantes?*

Resp. Negative ad utrumque: assentientes enim nullo sub respectu uti collectores dici possunt, et contra hos tantum lex est statuta, ideoque pœna ipsa illi non afficiuntur, etsi occasionem præbeant collectoribus turpe mercimonium exercendi.

Casus III. *Georgius Parochus Missas ex spontanea fidelium commissione hinc inde collectas, cum non possit per se celebrare, quin alia onera beneficii sui prætermittat, vel serius protrahat, Sacerdoti indigenti celebrandas committit, tradens illi eleemosynam synodalem, quæ ab ipso jam receptæ non respondit. De excessu sibi retento Sacerdotem compellet, qui illum sponte remittit, synodali eleemosyna sibi tradita contentus. — Est ne reus Georgius injustitiæ et turpis quæstus, et proinde Constitutionis articulo subjectus?*

Resp. Affirmative quoad reatum injustitiæ et turpis quæstus, cum nullum sufficiens assignetur motivum, quod Georgium excuset, nec certo uti tale haberi potest spontanea remissio Sacerdotis celebrantis, nisi de voluntaria donatione pro beneficio a Georgio recepto hoc se fecisse, vel facere velle aperte declaret. Tenetur igitur Georgius ad reparandam injustitiam suæ agendi rationis, nempe ad restitutionem. — Negative quoad excommunicationem, quia etsi Missas receperit, quas celebrare per se non potest, nisi alia onera Beneficii sui prætermittat; collector tamen in sensu articuli non est habendus, sive quia id non præstitit cum intentione lucrum captandi; sive quia Missas ab hoc vel alio nunquam quæsivit, sed a spontanea fidelium oblatione hinc inde recepit; sive demum quia ex probabili secunda sententia eas celebrandas *in locis* etc. non sibi proposuit, sed presbytero deficienti casualiter tradidit.

Casus IV. *Julius Parochus, ut quantocius celebrentur Missæ, quæ præterito anno superfuerant ex legato suo beneficio inhærentes, aliis presbyteris distribuit, assignata pro singulis eleemosyna diœcesana, quæ minor est pretio a fundatore statuta; quod tamen superest non sibi retinet, sed Ecclesiæ decori diligenter impendit. — Est ne immunis a culpa censendus, et exemptus a Censura art. 12?*

Resp. Ad 1m distinguo: si agatur de Missarum obligatione Beneficii sui bonis inhærente, immunis a culpa censendus est Julius, cum Beneficii sui fructuum dominium habeat, ac proinde Missarum onere expleto, pro lubitu eos erogare queat, multoque magis, prout in casu, in pios usus convertere. Secus vero dicendum, si agatur de Missarum legato cum eleemosyna a fundatore statuta, parochiali Benefi[illegible] accidentaliter adnexo. Cum enim eo casu legatum non s[illegible] proprie Beneficii pars, eleemosyna autem singulis Missis assignata earumdem stipendium constituat, integra Presbyteris celebrantibus tradenda est. Excipe, nisi moraliter constet, fundatorem eleemosynam majori pretio statuisse intuitu officii vel personæ ipsius Parochi. — Ad 2m Julius a censura, etiam posteriori casu, immunis omnino evadit; nec enim eleemosynarum collector dici potest, nec ullum quæstum ex sua agendi ratione intendit, aut percipit.

ARTICULUS XIII.

„Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos* quarto kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX *Quæ ab hac Sede* pridie nonas Novem. 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Jun. 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras* nono kalendas Nov. 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus."

Quæstio 9. *Ad plenam et rectam art. 13 intelligentiam est ne necessaria adæquata cognitio reliquarum Constitutionum, quæ in eodem art. citatæ inveniuntur, quasi aliquid novi per ipsas singulas fuerit inductum, aut præcedentibus derogatum?*

Resp. Necessaria est adæquata cognitio Constitutionis S. Pii V *Admonet nos*, cum ipsa sit basis et fundamentum reliquarum (et hinc etiam articuli Const. *Ap. Sedis*), utpote quæ prima super hoc argumentum evulgata. Non requiritur autem specialis notitia cæterarum; quamvis enim multa contineant ad rerum explicationem et declarationem valde utilia, nihil tamen addiderunt extensioni, aut derogarunt auctoritati præcitatæ Constitutionis, quam omnino approbant, innovant atque confirmant, et ipse S. P. Pius IX in articulo indicato nihil aliud sibi proponit, quam antiquam legem denuo notam facere, et sua etiam auctoritate confirmare.

Quæstio 10. *Quos actus Censura mulctandos respiciat art. legis, et quantum extenditur ad eos, qui insinuant vel suadent?*

Resp. Articulus legis respicit insinuationem, consilium, hortationem quocumque sub prætextu Rom. Pontifici factam de alienatione, vel de infeudatione bonorum ad Rom. Sedem immediate pertinentium. Sed cum censura præsens, ex illa Pii V desumpta, multipliciter extendatur, tum ex parte eorum, qui insinuant, tum ex parte bonorum, quorum alienatio suadetur, tum ex parte personarum, in quarum favorem proponitur, idcirco ad secundam quæstionis partem recte intelligendam sciendum est, pœnam legis, nempe excommunicationem, incurrere suadentem, sive hoc faciat per se, sive per alios, viva voce, sive scripto, sive scopum assequatur, sive operam perdat, sive titulum necessitatis adducat ad majora mala vitanda, sive evidentis utilitatis, quia hujusmodi tituli semper prætextus appellantur in Pii V Constitutione, et quia in Const. Clementis VIII expresse declaratur huiusmodi casus absolutæ necessitatis et evidentis utilitatis facilius mente concipi, quam usu contingere posse. Sciendum est deinde, hac Censura mulctari insinuantes, vel suadentes (cujuscumque sint gradus, dignitatis, vel conditionis, nemine excepto) alienationem, permutationem, vel qualemcumque infeudationis modum, e. g. sub annuo censu aut canone, ad vitam, ad longum tempus, vel in perpetuum. Denique notandum est, Censuram hanc amplecti non modo eos, qui insinuant, sed etiam eos, qui de eadem re, sive publice, sive privatim pertractant, eo fine vel intentu eligendi oratores ad Pontificem mittendos, prouti patet ex verbis Const. S. Pii V: *ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et Successores No-*

stros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes; quod valet tum quoad oratores electos, tum quoad eligentes, etsi deinde nihil actum fuerit coram Pontifice, imo etsi nequidem ad ipsum Pontificem accesserint.

Quæstio 11. *Quousque extenditur Censura ex parte bonorum, quorum alienatio, vel infeudatio proponitur et insinuatur?*

Resp. Quamvis in articulo nostro desit adverbium *immediate*, cum in mente fuerit S. P. Pii IX excommunicationem Pii V in omni sua parte integram atque immutatam retinere, illico patet, ipsum adverbium subaudiri, et proinde eamdem Censuram habere locum quoties sermo est de bonis *immediate* ad Rom. Pontificem pertinentibus, sive hic et nunc ab eodem possideantur, sive eadem bona ad ipsam Rom. Sedem sint devolvenda, sive agatur de iis, quæ antea in feudum dari consueverunt.

Quæstio 12. *Quæ demum extensio Censuræ quoad personas, in quarum favorem alienatio, vel infeudatio proposita, aut insinuata invenitur?*

Resp. Censuræ extensio, etiam sub indicato respectu, clare constat ex diligenti lectione Const. S. Pii V, ubi eædem personæ, cujuscumque sint dignitatis et gradus, aut etiam aliquo propinquitatis vinculo cum Rom. Pontifice conjunctæ, aut quocumque, utut gravi titulo benemeritæ erga Ecclesiam et Sedem Romanam, excommunicationi subjiciuntur. Item censura viget, sive personæ eligendæ in Duces, Vicarios et Gubernatores Rom.° Pontifici nominatim proponantur, sive tales aliasve personas eligendi eidem Rom. Pontifici concedatur potestas.

Casus V. *Quidam necessitatis et utilitatis specie suffulti, de cessione et alienatione temporalis dominii a S. Pontifice facienda et exequenda sæpe sæpius inter se confabulantur, articulos de eadem re tractantes in publicis ephemeridibus divulgant, nec non libros, quibus eamdem necessitatem atque utilitatem legentibus omnibus, et ipsi Summo Pontifici demonstrare nituntur, quin tamen directe et immediate unquam Ipsum alloquantur. — Sunt ne excommunicationi subjecti in art.* 13 *indictæ contra insinuantes et suadentes alienationem, seu infeudationem bonorum temporalium, juxta Const. S. Pii V, unde Censura P. Pii IX est desumpta?*

Resp. Non videntur *per se* comprehendi in art. Constitutionis, quia non fit mentio de iisdem in Bulla S. Pii V; et quamvis in publicam opinionem *super re* pro viribus operari, ac in-

fluere adlaborent, Pontificem tamen directe adire, vel commissarios seu oratores ad eum deputare nunquam cogitant, aut sibi proponunt. Jam vero hæc conditio ad Censuram contrahendam requiritur, nec sufficit præsumpta demonstratio necessitatis atque utilitatis inde secuturæ in libris, ephemeridibus abstractive facta et divulgata; non enim in propria agendi ratione Rom. Pontifici prouti tali bonorum ecclesiasticorum alienationem proponunt, insinuant, vel suadent, sed tantum necessitatem atque utilitatem ipsam exequendi juxta proprium cogitandi modum generaliter ostendere nituntur. Diximus non comprehendi *per se:* si enim scripta a se edita ad Rom. Pont. mitterent, ut in ejus mentem et voluntatem influerent, profecto inter *insinuantes scripto,* ac proinde inter excommunicationi obnoxios enumerandi essent.

Casus VI. *Maximus et Robertus, cuidam societati dominio temporali Papæ infensæ addicti, ab eadem societate oratores eliguntur, ut Pontifici suadeant opportunitatem et necessitatem eidem temporali dominio renunciandi; hoc tamen munus in se suscipere et explere recusant, imo sociorum insistenti sollicitatione indignati, ab ipsa societate separantur. – Num excommunicatione plectuntur, quia* sæpe *de necessitate, opportunitate etc. verba cum sociis aliisque fecerunt?*

Resp. Maximus et Robertus a Censura non eximuntur, juxta verba Constitutionis S. Pii V; quamvis enim munus a sociis sibiipsis impositum non susceperint, tamen cum iisdem de insinuanda alienatione, de oratoribus eligendis, et ad Pontificem deputandis, sæpe sæpius egerunt ac proposuerunt; perfecerunt nempe scienter et intentionaliter actum a lege vetitum sub pœna excommunicationis, quod satis est, ut a lege ipsa afficiantur, et comminatam pœnam incurrant.

ARTICULUS XIV.

„Religiosos præsumentes Clericis aut Laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque Parochi licentia.“

Quæstio 13. *Unde desumitur Censura art.* 14 *C. A. S., in*

quibus distinguitur a veteri lege, in quibus concordat, eamdemque confirmat?

Resp. Desumpta est a Clementina 1ª *de Privilegiis* Clementis V, qui in Concilio Viennensi illam indixerat in Religiosos præsumentes sine Parochi licentia Sacramenta in articulo indicata ministrare. — Censura legis novæ a Clementina distinguitur, quatenus hæc matrimonia solemnizantes attingebat, de qua nulla fit mentio in articulo nostro, quin tamen sustulerit suspensionem a Tridentino (Sess. XXIV c. 1 de Reform.) indictam in Religiosos, vel alios quoscumque matrimoniis assistentes sine Parochi licentia. Distinguitur præterea in eo, quod Clementina *specialem*, hoc est certe et expresse concessam Parochi licentiam exquirebat ad Censuram vitandam; dum in nova lege valere censetur quæcumque, etiam *præsumpta*, quam nempe in casu certe Parochus dedisset, quamvis reapse non dederit. — In cæteris omnibus nova cum veteri lege aptissime concordat, ejusque probatam interpretationem sibi vindicat.

Quæstio 14. *Quinam retinendi Religiosi, in quos Censura inflicta intelligitur?*

Resp. Religiosi, de quibus est sermo in articulo Constitutionis, illi tantummodo sunt retinendi, qui solemnia vota emiserunt. Immunes proinde sunt a Censura (etsi aliunde graviter peccent ob violata jura parochialia), non solum omnes Sacerdotes sæculares, sed etiam Novitii alicujus Ordinis, nec non omnes ad Instituta, aut Congregationes pertinentes, in quibus vota simplicia solummodo emittuntur; eadem enim Instituta, neque Regularia, neque Religiosa stricte appellantur, et in odiosis benignior interpretatio est admittenda.

Quæstio 15. *Quo sensu est accipienda præsumptio ex parte Religiosi ministrantis nominata Sacramenta sine Parochi licentia?*

Resp. Stricto sensu est accipienda, quatenus Religiosus eadem Sacramenta administrans, se contra Parochi jura operari advertat, quin de licentia obtinenda parum aut nihilum curet. Ideo si Religiosus illa Sacramenta administret, ignorando etiam culpabiliter Ecclesiæ legem, vel adnexam Censuram, non ipsam incurrit, quia præsumptio in sua agendi ratione non apparet; prouti pariter si sufficienti cum fundamento Parochum non invitum retineat, vel si etiam falso dijudicet periculum ægrotantis adeo urgere, ut Parochus nequeat advocari, aut expectari;

deest enim etiam in hisce præsumptio, quam lex requirit ad censuram incurrendam.

Quæstio 16. *Quæ conditiones exiguntur, ut revera Religiosus Censura innodetur iisdem Sacramentis ministrandis; et quando ab eadem eximitur, etsi fortasse actus ejus omni culpa non careat?*

Resp. Prima conditio est, ut Religiosus indicata Sacramenta extra necessitatem administret, nempe, vel infirmus non sit in articulo, aut saltem in gravi periculo mortis imminentis, vel suppetat tempus vocandi Porochum, aliumve idoneum ministrum; si vero necessitas adsit, Religiosus tranquillo animo præstet opus suum, sive consentientem, sive invitum Parochum prævideat. — Altera, conditio est, ut Religiosus, vel Sacramentum Eucharistiæ per modum Viatici, vel Sacramentum Extremæ Unctionis administret; si vero aut alia Sacramenta, aut Eucharistiam per modum devotionis administret, jura Parochi lædere potest, sed Censuram non contrahit. — Tertia conditio est, ut Religiosus prædicta Sacramenta præbeat iis, qui parochiali jurisdictioni subsunt; nam si ægrotus, sive ex suo statu, sive ex privilegio ab eadem sit exemptus, sacra communione refici etiam per modum Viatici, et sancto Oleo inungi poterit a Religioso, quin ullo pacto jura Parochi lædantur, aut contra legem Articuli aliquid ab ipso in suo actu perficiatur.

Casus VII. *Religiosus Adulphus, Parocho absente, infirmum decumbentem invisit, quem cum ex suo judicio in periculo vitæ versari existimet, ut saluti animæ suæ provideat per bonam Confessionem et reliquorum Sacramentorum susceptionem peramanter suadet et exhortatur. Libenter annuit infirmus, et omnia exequitur, Relijioso ministrante, quæ hisce in casibus præscribit et suggerit filiis suis Sancta Mater Ecclesia. — Numquid Adulphus Censura irretitur in art. enunciata, utpote qui Parochum, spectata morbi natura, potuisset interrogare?*

Resp. Negative respondendum videtur; quia nulla præsumptio in Adulphi actione deprehenditur, sive quia infirmum in periculo vitæ versari dijudicat, sive quia Parochum in casu consentientem existimat, et de licentia certo obtinenda, si peteret, se habet securum. Hæc autem sufficiunt, ut ipse a pœna legis eximatur, quæ enim proinde non afficit, etsi infirmum in periculo vitæ versari falso æstimaverit.

Casus VIII. *Gerardus presbyter, cujusdam Ordinis novitius, ecclesiasticæ Censuræ plane inscius, Viaticum et extremam Unctionem hinc inde in parœcia administrat, non dubitans quidem se legem violare, imo Parocho, quem intime agnoscit et diligit, gratum facere existimans atque præsumens. – Est ne censendus reus violatæ jurisdictionis propter præsumptionem, et excommunicationi subjectus?*

Resp. Gerardus, qui jura Parochi per Sacramentorum administrationem revera violavit, articulo legis non subjicitur, tum quia non adhuc vota solemnia in Religione emisit, sed est tantum sui Ordinis Novitius, tum quia inscius legis, se eamdem violare nedum non præsumit, sed nec minime dubitat, imo Parocho gratum facere censet, ipsum adjuvando in muneris sui exercitio, etsi nunquam cum eo de eadem re colloquutus fuerit.



EX THEOLOGIA DOGMATICA

In Tractatum de Deo uno.

Quæstio 1. *Quid est Deus, et quinam ejus existentiam inficiati sunt, et inficiantur etiam hodie, et in quot classes hujusmodi homines dividuntur?*

Resp. Communiter a theologis atque philosophis Deus definitur: »Ens, quo nihil melius, aut majus ab humana mente excogitari potest.» Quæ definitio in illam resolvitur, quam Deus ipse de natura sua Moysi dedit (Exod. III, 14): *Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos.* Deus proinde, ut Ens a se, exhibetur necessarium, immutabile, æternum, infinitum, omnes perfectiones ad supremum gradum elevatas in se continens, et veritatis, entitatis, bonitatis, pulchritudinis summam complectens.

Qui Dei existentiam antiquitus inficiati sunt, et qui hodie pariter in eadem pervicacia perdurant, athei vocantur, et in tres principales classes dividi solent: 1° *in theoreticos et practicos:* theoretici dicuntur, qui argumentationibus sibi et aliis persuadere nituntur, Deum nullum existere; prout inter cæteros præstiterunt sæculo elapso nonnulli Encyclopediæ philosophi. Athei practici sunt, qui, quamvis theoretice Deum admittant, practice tamen adeo pessime vivunt, ac si Deus nullus existeret, meritorum et demeritorum remunerator et vindex. 2° Athei theoretici in *positivos* et *negativos* subdividuntur: positivi vocantur, qui aliquam divinitatis cognitionem, vel revelationis supernaturalis, vel luminis rationalis ope, assequuti sunt, ad discrimen atheorum negativorum, qui in hypothesi invincibili ignorantia circa cujuslibet divinitatis existentiam detinerentur. 3° Athei in *directos* et in *indirectos* partiuntur: directi aperte divinitatis existentiam impugnant: indirecti e contra nominetenus Deum admittunt, imo Dei nomen jugiter habent in ore; sed reapse Dei ideam destruunt, cum Ejusdem naturæ notionem pervertant. Hujusmodi fuerunt et sunt pantheistæ tum veteres, tum recentiores, qui, quamvis *absoluti* et *infiniti* voces jugiter usurpent, tamen, quum Deum confundant cum hac rerum univer-

sitate, in atheismum necessario dilabuntur. Quale enim essentiale inter has propositiones intercedit discrimen: Deus nullus est; vel: Omnia identificantur cum Deo?

Quæstio 2. *Quotuplici argumentorum genere Dei existentia comprobatur?*

Resp. A theologis et philosophis triplici argumentorum genere Dei existentia comprobari solet; idest argumento metaphysico, physico-theologico, et morali. Argumentum metaphysicum, quo ab effectu ad ejusdem causam ascendimus, ab orbis universi finitate, mutabilitate et contingentia desumitur. Quod enim finitum et mutabile est, rationem suæ existentiæ sufficientem in se non habet, neque habere potest, sed aliunde eam repetit. — Argumentum physico-theologicum ab ordine et harmonia in universo orbe dominantibus eruitur. Ordo enim necessario Ordinatorem summe intelligentem quoad dispositionem, et summe potentem quoad executionem præsupponit: nihil enim sui causa esse potest. — Argumentum morale omnium hominum consensui innititur in aliqua agnoscenda et colenda divinitate. S. Anselmus Cantuariensis his tribus argumentis adjecit quartum *a priori*, ex ipsa Dei notione deductum. Argumenta quinque *a posteriori* in utraque Summa habet Angelicus Doctor ad hoc idem adstruendum.

Casus I. *Quum Deus ab homine, sive sensibus externis et interno, sive conscientia et intelligentia attingi nequeat, ait Camillus, proinde nostra persuasio et convictio circa alicujus divinitatis existentiam non sunt considerandæ nisi veluti humanæ mentis figmentum et idea pure subjectiva, nullum in re fundamentum habens; ex quocumque demum fonte hujusmodi delirantium ingeniorum opinio prodierit. — Quid de hujusmodi impietate sentiendum est?*

Resp. Verum quidem est, Deum ab homine neque sensibus externis, neque interno attingi posse, testibus sensu intimo et experientia. Hinc in Ep. I[a] Joan. cap. 4 legitur: *Deum nemo vidit unquam.* Conscientia pariter, philosophice considerata, ad Dei cognitionem hominem non evehit; cum ipsa existentiæ nostræ nostrorumque actuum internorum actualitatem tantummodo nobis patefaciat. Sed, præscindendo a divina revelatione ab Ecclesia proposita omnibus et singulis fidelibus, ad Dei cognitionem in hac vita intelligentia et ratione pervenimus, idest

per ratiocinium, causalitatis principio innixi. Mundus enim quum finitus et mutabilis sit, teste experientia, contingens esse debet, et causam sui aliunde repetere, idest a Deo. Ergo. Dei igitur conceptus in hominum mentibus existens non est chimæra, aut delirium, aut idea pure subjectiva, prout fabulatur Camillus, sed verum et reale fundamentum et objectum habet.

Quæstio 3. *Argumentum metaphysicum ex primæ causæ necessitate deductum ad Dei existentiam adstruendam est ne sufficiens?*

Resp. Ad scopum propositum hoc argumentum sufficientissimum est, prout constat tum ex ipsa ejusdem natura, tum ex usu, quem ejusmodi probationis Patres, et Doctores Scholastici contra sui temporis atheos et incredulos fecerunt, atque etiam hodie præcipui Religionis nostræ Apologetæ et Theologi faciunt. Sane, si mundus finitus et mutabilis est, eo ipso ut contingens haberi debet; et ideo ut ens ab alio dependens, neque in se propriæ existentiæ causam sufficientem habens. En argumenti metaphysici substantia in quo consistat; quod proinde validissimum evadit ad Dei existentiam comprobandam, cum causalitatis principio innitatur.

Quæstio 4. *Entium producentium et productorum infinita series admitti ne potest, quæ primæ cujusque causæ necessitatem excludat?*

Resp. Non potest; seriei enim sive simultaneæ, sive successivæ conceptus cum entis infiniti notione conciliari nequit. Reapse series de natura sua principium et finem necessario exposcit. Præterea, multitudo unitatem semper præsupponit, ex cujus multiplicatione, vel additione pluralitas prodierit. Atqui idea seriei cujusque est multitudinis et pluralitatis conceptus: ergo unitatem necessario supponit et partes; ac proinde cum idea infiniti componi nequit. Insuper, series quævis novi incrementi est semper capax, dum entis infiniti notio quodvis incrementum et decrementum et limites positive respuit. Si enim enti infinito additio aliqua fieri posset, eo ipso esset mutabile et finitum. Denique, si infinitum ex multitudine entium producentium et productorum coalesceret, ex partibus finitis constitueretur, atque ideo esset finitum: eadem enim partium et totius natura esse debet.

Casus II. *Teste experientia, mundus hic physicus non est mutabilis quoad substantiam, ait Ambrosius, sed tantum quoad formam et accidentia; non repugnat ergo quod sit æternus, et quod proinde omnem causam extrinsecus positam excludat. Sane materia numquam destruitur, quascumque modificationes et combinationes chymicas subeat. Lignum verbi gratia comburitur, sed non destruitur ejus materia, imo potius in alias substantias et elementa convertitur, ut in cineres, et vapores. Idem de ceteris objectis hoc universum componentibus dicatur. — Ergo in se suæ existentiæ causam sufficientem mundus habet; ergo Deus in sensu christiano non existit. — Quid theologus dicet?*

Resp. Mundus hic physicus, teste experientia, non solum quoad modos et accidentia, sed quoad ipsam substantiam mutabilis est. Mutationibus, et quidem jugibus, corpora subjacere quoad modos et quoad qualitates non est quæstio inter nos et Ambrosium; quoad substantiam vero non minori evidentia elucet. Sane vi combustionis natura ligni mutatur, et vi assimilationis alimenta vegetalia in carnem et sanguinem transeunt. Si ergo hoc universum materiale sub utroque hoc respectu mutabile est, æternum ac necessarium dici nequit. Nec dicas, materiam primam philosophico sensu acceptam eamdem semper permanere in omnibus, ut vocant, *combinationibus* corporum, et proinde æternam, et a se esse; tum quia eadem materia prima in diversis corporibus reapse etiam quoad substantiam mutatur, tum quia ens æternum et infinitum nullis, ne quidem accidentalibus mutationibus obnoxium esse potest. Ergo.

Quæstio 5. *Argumentum physico–theologicum demonstrationem Dei existentiæ vere apodicticam suppeditat ne nobis?*

Resp. Argumentum physico–theologicum etiam a se consideratum seorsim a ceteris, existentiæ Dei demonstrationem vere apodicticam suppeditat. Ordo enim necessario ordinatorem exigit, ut effectus causam, a qua prodierit. Et quanto magis ordinatio quælibet in sua unitate simplicior, et in rerum dispositarum copia multiplicior et complicatior est, tanto magis causam expostulat in concipiendo sapientiorem, et in executione potentiorem. Quum vero hoc universum ordinatissimum sit, tum in suo complexu, tum in singulis partibus, regno minerali, vegetali, animali etc., tum in unaquaque re, speciatim in homine; proinde causam sapientissimam requirit, quæ hæc omnia

disposuerit, et ad fines proprios dirigat. Ergo argumentum physico–theologicum apodicticum est.

Quæstio 6. *Est ne factum jam historice demonstratum omnes omnino homines, tum barbaros et efferatos, tum cultos et bene moratos semper in aliqua diuinitate admittenda consensisse?*

Resp. Equidem est factum constans et universale, omnes omnino homines tum veteres, tum recentiores, sive barbaros, sive cultos quovis tempore et loco aliquam religionem et divinitatem admisisse, et veneratos esse. Id ex pluribus documentis historicis quoad veteres, et ex geographorum relationibus quoad gentes recens detectas Africæ et Oceaniæ constat. *Facilius erit,* ajebat Plutarchus jam a tempore suo, *invenire urbes muris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; quam detegere urbem templis Diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur* (Adv. Coloten.). Adeo altas radices in hominum mentibus jecit idea divinitatis! Præscindendo etiam a naturæ consideratione, dummodo homo in se redeat, et semetipsum consideret, idest animam propriam ejusdemque facultates et propensiones, nec non corpus suum ejusque mirabilem organismum internum et externum, atheus esse non potest.

Casus III. *Petrus Bayle asserit argumentum morale a philosophis et theologis ad Dei existentiam adstruendam desumptum ex communi omnium hominum consensu esse valde æquivocum, et multiplici ex capite nutare: et 1° quidem, quia non est certum et exploratum apud eruditos omnes homines semper in aliqua agnoscenda divinitate inter se convenisse; 2° quia omnes populi, præsertim vetustiores, nobis comperti non sunt; 3° quia semper fuerunt plures, saltem philosophi, qui omnem divinitatem respuerunt. — Quid de his difficultatibus sentiendum erit?*

Resp. Argumentum morale, quo Dei existentia adversus atheos adstruitur ex omnium hominum consensu in aliqua agnoscenda divinitate, neque æquivocum est, neque ulla ex parte vacillat. Et primo quidem, Bayle ceterosque atheos ad historiam et documenta totius sacræ et profanæ antiquitatis provocamus, ut omnes gentes in hoc unanimes fuisse persuadeantur. De nationibus notis loquor; nam ignotæ quid senserint quoad hoc, per analogiam a cognitis erui potest. Hinc præter Plutarchum

superius commemoratum, etiam Tullius (de legibus lib. 1°) ad rem nostram dicebat: *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum non sciat.* — Præterea naturam humanam athei, ejusque insuperabilem inclinationem considerent ad aliquod Numen supra vires et leges physicas admittendum, et videbunt quid de hoc sentiendum sit. Concedo non omnes veteres populos ex documentorum defectu nobis compertos esse, sed nihil inde contra nos, cum eisdem legibus humana ratio et natura penes omnes homines loquantur. Admitto pariter fuisse quovis tempore nonnullos, qui pallio philosophico suum atheismum cohonestantes, omnem divinitatem respuerunt. Sed hi erant potius athei practici, quam theoretici, qui propriam impietatem practicam in principia theoretica elevare conati sunt, ad conscientiæ rugitus sopiendos. Horum atheismus communi omnium hominum consensui non est certe præferendus.

Quæstio 7. *Humani generis circa alicujus divinitatis existentiam consensus a timore ab hominibus concepto propter phænomena naturalia extraordinaria et terribilia repeti potest?*

Resp. Nego prorsus timorem hujusmodi consensum humani generis producere potuisse. Metus enim est cæca quædam animi nostri affectio, quæ præexistentem notionem vindicis alicujus, offensam eidem factam atque inde ortam in offenso indignationem, et ultionis appetitum contra offensorem semper præsupponit. Et proinde, prout dicitur: *Ignoti nulla cupido;* ita dici potest a paritate: *Ignoti nulla formido.* Quæ non existunt, vel non esse putantur, profecto a nobis non timentur; timor proinde religioni et theismo originem nullo modo dare potuit. Homines Deum timere cœperunt postquam Illum existere cognoverant, seu postquam Eum offenderant, legem naturalem, aut positivam violando. Timor vero, teste historia, ad atheismum, potius quam ad religionem introducendam idoneus est: philosophi enim, ut vidimus, qui se atheos jactarunt, ad hoc inducti sunt, ut, propriorum scelerum conscii, divinitatis timorem exuerent. Ergo.

Quæstio 8. *Vel a causarum naturalium ignorantia hic consensus repetendus est, aut ex sacerdotum fraude et avaritia, vel legislatorum calliditate et vafritie?*

Resp. Hujusmodi humani generis consensus, prout a timo-

re originem suam non traxit, eadem ratione ab ignorantia rerum naturalium, qua in adversariorum hypothesi primi homines detinebantur, oriri non potuit. Secus, quanto magis scientiæ, præsertim naturales, progrederentur, et secreta hujus universi materialis patefierent, et leges et vires, quibus corpora reguntur et prædita sunt, dignoscerentur, tanto magis longe lateque atheismus disseminari deberet. Id autem historiæ et jugi experientiæ opponitur. Ergo. Plures et præstantissimi philosophi, physici, mathematici, religiosissimi fuerunt. Newton asserere non dubitavit, impossibile esse, ut quis in rerum physicarum scientia sit versatus, et eodem tempore sit atheus. — Sed fingamus futurum aliquando ope scientiæ ut omnia naturæ secreta detegantur. Desinet tunc eo ipso hoc universum esse finitum, mutabile, contingens? Minime. Ergo semper et necessario causam extra se positam, idest, Dei existentiam, mundus postulabit. — Sacerdotes pariter huic consensui originem dare non potuerunt; quum sacerdotii institutio Dei alicujus existentiam jam cognitam prærequirat; et sacerdotes, sacrificia, cultus etc. nonnisi ad Deum colendum relationem habeat. — Idem de principum et legislatorum calliditate dicatur; numquam enim ipsi legibus a se latis venerationem conciliare potuissent apud subditos, fingendo se a Deo ipsas accepisse, nisi jam antea in Deum populi credidissent; secus derisi fuissent. Ergo.

Casus IV. *Petrus Bayle supra commemoratus, veteres atheos imitatus, effutire non erubuit, ideam Dei penes homines ex metu derivasse hominibus incusso a phænomenis naturalibus extraordinariis, prout tonitrua, fulgura, corruscationes et terremotus essent; quæ facta physica primitivi homines, adhuc idiotæ et rudes in naturæ cognitione, non causis secundis et naturaliter agentibus adscribebant, sed mysticismi studio abrepti alicujus supremi Numinis efficaciæ et indignationi propter hominum scelera et impietates attribuebant. Ab ignorantia ergo legum et causarum naturalium juxta Bayle Dei idea orta est in hominum mentibus; et proinde, scientia progrediente, hæc Dei opinio ab hominum cordibus expellenda est. — Quid erit his opponendum?*

Resp. Quid de hac Bayle ceterorumque atheorum tum veterum, tum recentiorum sententia judicandum sit, ex modo dictis elucescit. Homines ad aliquam divinitatem colendam permoti fuerunt non ex metu vel ignorantia, sed ab ordinis et

harmoniæ in hoc universo dominantium observatione et admiratione, prout constat ex historia sacra et profana, nec non ex natura cultus Deo præstiti ab antiqnis populis, et ex sacrificiorum indole Divinitati olim oblatorum. Ad rem in Sap. c. 13: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum, qui est: A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri.* Et in Ep. ad Rom. cap. 1: *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur etc.* Timor ad summum homines curis temporalibus nimium intentos, et rerum spiritualium et religionis et divinitatis ferme oblitos, ad Dei memoriam revocare potuit. Sublato proinde fundamento, ceteræ Bayle aliorumque incredulorum corruunt per se gratuitæ assertiones.



EX SACRA SCRIPTURA

IN LIBROS **JOB, PSALMORUM, PROVERBIORUM** ET **ECCLESIASTIS.**

Quæstio 1. *Qua lingua et quo auctore liber Job prodierit?*

Resp. Liber Job lingua hebraica extat, eamque primigeniam libri esse omnes fere hodiedum conveniunt. Quæ elementa arabica in ea occurrunt, ostendunt auctorem vel in Arabia, vel cum Arabibus versatum fuisse, quod ultimum congruit cum sententia plerisque eruditis jam domestica, idest, libri auctorem esse Moysem. Revera indicia in hoc libello conspicua id testari videntur, uti: 1° Lingua hebraica, quæ flexibilitate, qua præstat, auctorem vere hebræum reclamat; 2° Notiones de Ægypto, ac de regione Arabiæ libro diligenter consignatæ; 3° Artium, historiæ naturalis et litteraturæ notiones, quibus sæpius liber inspergitur. Hæc indicia, ut alia prætermittamus, adeo concinunt cum historicis et personalibus Moysis adjunctis, ut ipse qua libri Job auctor non improbabilis sit habendus. Si nulla mentio de Palestina in libro ostenditur, id innuit Moysem opus exarasse dum penes socerum suum in Arabia morabatur.

Quæstio 2. *Quænam sit argumenti indoles hujus libri, parabolica ne, vel historica, aut prophetica?*

Resp. Argumentum libri Job historicum est simulque doctrinale, quatenus scilicet auctor veram historiam narrando, præclara doctrinæ moralis capita adjunctis historicis opportune respondentia lectoribus suis insinuare intendit. Veritas historica narrationis libri Job ab antiquis indubitanter admissa, inepte in dubium vocata est a nonnullis neotericis, qui totam Job narrationem inter parabolas relegandam esse opinantur, salva tantum doctrinalium divina auctoritate. Nihil autem obstat, quominus cum Huetio aliisque celebrioribus rerum biblicarum scriptoribus, veram eorum omnium, quæ in libro Job narrantur, historiam agnoscentes, rerum tamen dispositionem, styli elegantiam ac sublimitatem, ornatus demum poeticos, quibus vere præstant sermones interlocutorum, auctoris ingenio ab afflante Spiritu Sancto relictos fuisse dicamus. Neminem tandem

latet insigne vaticinium Messiæ Salvatoris generis humani prærogativas et corporum resurrectionem spectans, in Job (XIX, 25, 28) legi.

Casus I. *Qui argumentum libri Job, vel ex toto, vel etiam tantum ex parte historicum esse dijudicat, inquit Cyrus, non omnia, quæ in eo leguntur, cum principiis sanæ rationis facile componere valebit. Ita ex. gr. Job IX, 22 Deus sistitur veluti qui et probos et impios æquali modo habeat. Hæc vero et aliæ difficultates illico evanescerent, si semel totius libri argumentum esse parabolicum admitteremus; tunc enim quæ rationabiliter explicari nequeunt, ceu redundantia sermonis ornamenta, vel hyperbolicæ dictiones, vel generatim tanquam partes orationis accidentales, aut prorsus negligi, aut debitis limitibus coartari possent; uti hermeneutica docet. Id autem fieri posse sine ullo fidei detrimento exinde patet, quod libri auctoritas doctrinalis intacta manet. — Quid biblicus exegeta de hac Cyri sententia?*

Resp. Allegatus textus ex Job IX, 22: *Unum est, quod locutus sum: et innocentem et impium ipse consumit*, incautum lectorem, non vero attentum decipere potest. Job enim hic non loquitur de definitiva Dei remuneratione mortalibus pro meritis ultimo impertienda, sed de transitoria ac providentiali agendi ratione, qua Deus, ob fines nobis inscrutabiles, homines in hisce terris versantes sapienter ad finem moralem dirigit, eos modo adversis immissis ita exercendo, ut mali salutari perculsi timore ad bonam redeant frugem, justi vero in veritate et justitia proficiant. Id ex contextu cum præcedentibus clare eruitur. Job enim ab amicis qua reus alicujus gravis criminis occulti accusabatur, idque ex plaga crudeli, qua veluti a condigna Dei punitione petebatur, satis conjicere ejus amici arbitrabantur. Ast Job, qui sibi talis culpæ conscius minime erat, eorum temeritatem contudit inquiens, Deum ob justos fines et pios et impios quandoque ad mortem usque angere, ideoque ex prosperis vel adversis, quæ mortalibus in hisce terris degentibus obveniunt, non posse nec eorum probitatem argui nec improbitatem.

Quæstio 3. *Qua lingua et quibus auctoribus Psalmi biblici prodierint?*

Resp. Lingua primigenia Psalmorum hebraica est, purior

quidem in antiquioribus, elementis vero exoticis, potissimum chaldaicis in recentioribus psalmis scatens. Dictio psalmorum ad poësim quandoque sublimem attollitur.

Psalmorum auctores varii fuere, quorum alii dignoscuntur, uti Moyses, et David, alii vero prorsus ignoti sunt. Nomina psalmis inscripta non semper auctorem, sed interdum vel personam cui dicabatur, vel musicum, a quo psalmus musicis numeris aptandus erat, designant. Inde vero psalmorum liber, seu collectio, Psalterium Davidicum nuncupari consuevit, quia majori ex parte psalmi fœtus sunt Davidis, et quia nonnulli antiqui Davidem ceu omnium Psalmorum auctorem habebant. Ast S. Hieronymus jam monuerat, *errare eos, qui omnes psalmos Davidis esse arbitrantur.* Revera multi psalmi ad historias tempore davidico recentiores, et nonnulli etiam ad captivitatem babylonicam, aut ad seriores quoque ætates referuntur.

Quæstio 4. *Quodnam est argumentum in Psalmis dominans; et an liber Psalmorum ceu canonicus sit habendus?*

Resp. Multiplex est, et quidem: 1° Didacticum, sive dogmaticum, sive morale, quatenus, ut ait S. Basilius, *in hoc Psalterio sane reconditus est perfectæ theologiæ thesaurus.* 2° Latreuticum et Eucharisticum; Psalmorum enim lectione homo ad laudes Deo vero uti infinite perfecto persolvendas invitatur, et ad grati animi sensa pro acceptis beneficiis erga Eum ostendenda efficacissimis verbis excitatur. 3° Propheticum, cum in Psalmis reperiantur insignia de Christi in carne adventu oracula; atque ejusdem miracula, prædicationem, passionem et mortem, resurrectionem, ac Ecclesiæ fundationem psalmistæ sæpius celebrent. 4° Historicum; non pauci enim psalmi præclara Dei opera potissimum ad Religionis depositum penes Ecclesiam antiquam custodiendum modo supernaturali elicita cantant, moralemque hominis institutionem historicis narrationibus vel allusionibus promovere nituntur.

Canonica auctoritas Psalterii ex omnibus monumentis constat; liber enim hic inter protocanonicos habitus in omnibus catalogis sacrorum bibliorum reperitur; atque a Christo Domino (Math. XXII, 43) et ab Apostolis Hebr. I, 5 seq.; Actor. I, 16, commendatur.

Casus II. *Multa eaque præclara et ad religiose informandam hominis vitam efficacissima essent fidei et morum documenta, quæ*

ex Psalmis eruuntur, inquit Syrus; ast eorum salutaris efficacia nimium quantum infirmatur illis horrendis imprecationibus, quibus Psalmorum auctores in hostes suos immaniter invehuntur. Neque satis, etiam odium, execrabile hoc peccatum, piget dicere, pergit Syrus, ceu quidpiam Deo acceptabile in Psal. 138, 20, 21 *exhibetur. Ne vero dicamus, quod impium esset, sanctam Dei inspirantis auctoritatem hisce implicari, fateri oportet, duplex Scripturis inesse elementum, divinum et humanum; proindeque illud tantum, altero rejecto, fidei nostræ obsequium mereri. Qua admissa distinctione, Psalmorum lectio non tantum innocua, sed et perutilis evadere potest. Ita Syrus. — Quid vero biblicus hermeneuta?*

Resp. Fatendum in Psalmis quædam interdum legi, quæ cum principiis mutuæ charitatis, qua homo hominem prosequi tenetur, primu intuitu facile componi non posse videntur. Ast hac super re advertimus: 1° Sæpius locutiones ejusmodi nil aliud esse, quam descriptiones suppliciorum, quæ impios manent (Psal. CVIII, 8); 2° Poëticam literaturam, potissimum orientalem, locutiones solito vivaciores et vehementiores admittere; 3° Plura vaticinia esse, in quibus propheticæ dictiones, uti mos est aliquando Judæis, modo imperativo vel optativo enuncientur (Is. XIII, 16; Oseæ XIV, 1); 4° Ut plurimum vota esse, ut Deus malevolos homines puniat, ne uti injustus aut impotens blasphemetur (Psal. V, 11; VII, 15–17); 5° Ex pluribus locis denique constat imprecantem optasse, ut per immissa mala perversi in se redirent, ac emendarentur (Psal. LXXXII, 15–17). Si aliquæ diræ nonnunquam insonant durius, id ex zelo justitiæ, non vero ex odio aut libidine vindictæ repeti debet; amor enim inimicorum in Lege (Exod. XXIII, 4–5) inculcatur; ac in psalmis eorum conversio intenditur (Psal. LXXXII, 15–17). Hoc idem etiam applicandum venit textui in casu allegato ex Psal. CXXXVIII, 20–21: *Qui oderunt te, Domine, oderam.... perfecto odio oderam illos.* Odium enim, quod Psalmista profitetur, est odium abominationis, quod fertur in prava personarum opera, nempe peccata, quodque ex charitate erga Deum procedit, minime vero odium inimicitiæ, ex malevolo animo proveniens.

Quæstio 5. *Qua lingua et quo auctore exaratus sit liber Proverbiorum?*

Resp. Lingua libri Proverbiorum hebraica est, quæ etsi re-

centiorem prodat ætatem, nullo tamen elemento exotico inficitur.

Libri hujus auctorem esse Salomonem, universa Hebræorum et Christianorum traditio docet; quod etiam ex titulo libri et singularum ejus partium apparet. Quæstio movetur de duobus postremis capitibus, quæ aliud nomen præseferunt: verum non desunt qui sub his nominibus ipsum Salomonem latere existimant, ratione habita significationis illorum nominum, præsertim cum etiam in sequenti libro Salomon sub nomine *Ecclesiastis* lateat, et aliunde nemo occurrat inter prophetas vel reges Hebræorum nomine *Agur*, vel *Lamuel*. Quamvis autem Salomon libri auctor habendus sit, non tamen librum ipse conscripsit, sed ex ejus sententiis ab aliis postea opus conflatum est, ut ex inscriptione cap. XXV apparet. Scilicet Salomon multas protulit vel scripsit sententias, quæ ad plura millia ascendisse dicuntur 3 Reg. IV, 32 seq: ex his pars aliqua, scil. Prov. I–XXV, jam ante Ezechiam scripto consignata erat; huic aliam partem addiderunt viri Ezechiæ (inter quos certe aderat Isaias propheta), qui eas ex antiquioribus scriptis apud reges Juda asservatis extraxerunt (Prov. XXV, 1).

Quæstio 6. *Quis scopus hujus libri, et an divinitatis nota eidem competat?*

Resp. Scopus libri jam ab auctore I, 3 satis indicatur, estque doctrinam moralem pro instructione populi aptissimam tradere. Huic congruit methodus disserendi per breves et acutas sententias, quæ facili negotio menti infiguntur, et occurrenti occasioni agendi normam illico præstant. Hac methodo Christus quoque et Apostoli usi sunt. – Divinitatis nota libro Proverbiorum certe competit, cum inter protocanonica scripta semper habitus fuerit.

Casus III. *Unus est Deus, observat Cyrillus, una fides, una eademque propterea esse debet moralis doctrina Religionis. Unde autem est, quærit, quod tanta occurrit discrepantia inter Antiqui et Novi Testamenti præcepta, ut quæ in uno jubentur, in altero interdicantur? Ita ex. gr. dum auctor Proverbiorum 6, 6–9 solertes ad instar formicæ in comparandis rebus temporalibus nos esse cupit; Evangelista Matth. contra, 6, 34 ab omni sollicitudine circa temporalia nos prohibere nititur. Cui igitur obsequendum? Cum ab hoc implexu sese extricare minime valeat Cyrillus, biblicum exegetam consultum adit. Hic autem quid?*

Resp. Moralis doctrinæ unitas minime læditur ab ea discrepantia, quam quis inter N. et V. Testamenti præcepta deprehendit. Discrimen enim, quod aliquando advertitur, apparens omnino est, totumque in eo consistit, quod lex evangelica omni ex parte absoluta legem antiquam adimplevit ac perfecit, juxta illud Christi Domini: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Casus ex Prov. VI, 6–9, et Math. VI, 34 petitus superius dicta minime infirmat. Auctor enim Proverbiorum iis verbis: *Vade ad formicam piger* etc. hominem arguit, qui ex ignavia a sudore vultus, in quo vesci pane nos convenit, abhorret; eumque proposito exemplo providæ formicæ laboriosum et industrem reddere vult. Hanc vero industriam certe non impetit Christus dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum etc.;* sed eos tantum redarguit, qui spiritualia ac æterna bona parvi pendentes, nimium rebus temporalibus comparandis inhiant, quod ex præc. v. 33 clarius apparet. Ex utroque igitur loco unus componi potest sensus, nempe: Cave ab ignavia, in comparandis bonis solers esto, ita tamen ut inter æterna et temporalia ordinem serves.

Quæstio 7. *Quo auctore, et qua lingua editus est liber Ecclesiastis?*

Resp. Antiqua Patrum et Judæorum traditio fert Salomonem librum Ecclesiastis scripsisse. Non desunt qui opinentur, non facile cum Salomone ejusque ætate conciliari posse voces et dictiones aramæas ac neologismos hebraicos, quibus textus passim inspergitur, aut illam faciendi libros cupidinem, quæ ab auctore XII, 12 reprobatur. Ast reponimus, dictiones exoticas Salomonem ex frequenti cum alienigenis potissimum fœminis conversatione discere potuisse; neologismos vero ab amanuensi aliquo, vel ab ipso Esdra forte introductos esse. Illa demum edendi libros cupido bene potest illi ævo convenire, cum Davidis et Salomonis tempore scientiarum cultura magnos attigisset progressus.

Quæstio 8. *Quis scopus libri? num canonicus?*

Resp. Scopus auctoris fuit ex una parte reprimere inquietam hominum cupidinem, qua in cumulandas divitias, in voluptates consectandas, et adipiscendos plausus præcipites feruntur; ex altera vero docere homini non prohiberi innocua oblectamenta, quæ bonis creatis legitime assequutis moderate utendo, Deumque timendo, XII, 13, sibi comparare potest. Utrumque

præstat auctor, tum de vanitate rerum humanarum, tum de læto et religioso vitæ usu, inspecto potissimum supernaturali hominis fine, XII, 7 disserendo.

Liber Ecclesiastis canonica auctoritate præditus est, quod ex Judæorum Christianorumque canone certo constat.

Casus IV. *Scopus Ecclesiastis, observat Emidius, singularis omnino apparet, quippe qui ab omni alio scopo, quem sibi præfigere solent didactici bibliorum auctores, mirabiliter dissentiat. Revera, dum alii biblici auctores in eo potissimum versantur ut hominum vitam severioris disciplinæ moralis præceptis imbuant et componant; hic, contra, morum laxat habenas hominesque ad liberiorem vitæ usum invitat. Neminem insuper latet, pergit idem, auctorem nostrum jucundiori forte argumento plus justo allectum, absurdis quandoque principiis cum gravi fidei nostræ detrimento impingere. Ita male sapiunt quæ cap.* 3, 18, 19 *de hominis et bruti natura et conditione edicit auctor; qui proinde non semper se fidele Spiritus S. organum exhibuisse est dicendus. — Hæc interpretis operam expostulant.*

Resp. Auctor Ecclesiastis ad eam vivendi licentiam, de qua Emidius in casu, minime hominem invitat, sed media inter excessus via incedens, dum lætum vitæ usum commendat, a voluptatibus tamen inordinatis hominem arcet (VII, 1 seq.), eo quod *justum et impium judicabit Deus* (III, 17). Moralis itaque vitæ usum, et quidem intuitu futuri Dei judicii, diserte inculcat Ecclesiastes. Verba vero *unus interitus est hominis et jumentorum, etc.* (III, 18, 19), hortodoxæ fidei principiis minime officiunt; cum enim auctor cap. XII, 7 diserte doceat, animam humanam corpori superstitem ad Deum reverti, clare colligitur Ecclesiastem in loco, qui opponitur, disserere de conditione et fine hominis et bruti non intuitu animæ, sed intuitu corporalis conditionis, quo sub respectu homo, qui peccando immortalitatem corporis, qua a Deo donatus fuerat, amisit, nihil revera in terris *jumento amplius* habere videtur, *cum cuncta subjaceant vanitati* (ibid.).

Auctor autem reddit rationem, cur Deus hominem bestiis similem quoad corporis conditionem condiderit, ut nempe illum probaret, an sciret ad animæ suæ dignitatem supernaturalemque vocationem se extollere. Et hic revera videtur scopulus, ad quem multi fidem suam misere allidunt.

EX JURE CANONICO

In Tract. de Parocho.

Quæstio 1. *Quotuplici ratione Parochiarum collatio ex jure ad S. Sedem spectare potest?*

Resp. Triplici ratione: per *reservationem,* per *affectionem,* et per *devolutionem.* Jure enim *præventionis,* et *concursus* hodiedum non amplius S. Sedes uti solet.

Quæstio 2. *Quibus in casibus collatio ad S. Sedem pertinet vi* reservationum *tum in jure communi, tum* in Regulis Cancellariæ Apostolicæ *contentarum?*

Resp. Reservatio est Decretum, quo Pontifex collationi suæ quædam Beneficia vacantia aut vacatura addicit, sublata inferioribus collatoribus eadem conferendi potestate. – Plurimæ numerantur Reservationes, tum vi juris communis et peculiarium Constitutionum Ss. Pontificum, tum vi Regularum Cancellariæ Apostolicæ; brevitatis tamen gratia, præcipuas tantum, i. e. quæ frequentius usuveniunt, vel usuvenire possunt respectu Parochiarum, indicabimus.

Itaque, *a jure communi, et apostolicis Constitutionibus* reservantur Beneficia parochialia: 1° *Si apud Rom. Curiam ea vacare contingat:* quod evenire potest, tum si Beneficiatus diem supremum obeat apud Rom. Curiam, ubicumque sive Romæ sive alibi Curia inveniatur, vel in locis Curiæ vicinis, i. e. intra circuitum 40 circ. milliar. a loco ubi Curia moratur; tum si Beneficium vacans reddatur vigore alicujus Romanæ Curiæ actus, quo Papa vel renuntiationem acceptet, vel Beneficiatum alio transferat, deponat, etc. — 2° Si vacaverint ex eo quod earum Rector in crimen hæresis lapsus sit. — 3° Si per confidentialem Simoniam acquisita fuerint; tunc enim et quod dimittitur, et quod obtinetur Beneficium ipso facto vacans et reservatum efficitur. — 4° Si vacaverint, Sede Episcopali vacante, Beneficia, quæ sint liberæ Episcopi collationis, non vero patronata.

A *Regulis* vero *Cancellariæ Apostolicæ* insuper reservantur: 5° Beneficia, quæ vacaverint octo mensibus Jan., Febr., Apr., Maj., Jul., Aug., Oct., et Nov., per mortem, translationem, vel

depositionem respectivi Rectoris. Excipiuntur ab hac Regula Beneficia Parochialia, *a)* quæ sunt j. p. laicalis, vel mixti; et *b)* quæ vacaverint per renuntiationem Beneficiati in manibus ordinarii collatoris, dummodo tamen intra mensem a die renuntiationis Beneficium sic dimissum de novo Parocho ab ordinario collatore provideatur; atque insuper dummodo hujusmodi renuntiatio in fraudem reservationis facta non sit, hoc enim in casu tum Beneficium dimissum, tum Beneficium postea consecutum, reservata manent. — Notandum autem hic, Episcopis residentibus (non vero ceteris collatoribus) in remunerationem residentiæ, concedi jus alternativæ mensium, vi cujus ipsi conferre possunt Beneficia, quæ vacaverint alternis mensibus Febr., Apr., Jun., Aug., Oct., et Dec. — 6° Beneficia, quæ antea obtinebat, qui aliqua prælatura (ut protonotarii apost., camerarii secreti S. S. etc.) etsi ad honorem tantum, insignitus erat. — 7° Demum, beneficia de quibus ordinarii collatores contra decreta, vel contra formam a Conc. Trid. præscriptam disposuerunt.

Casus I. *Cum mense Januario vacaverit Parœcia, in qua jus eligendi Parochum penes populum residet, quæstio exorta est inter duos Sacerdotes, num ipsius Parœciæ collatio S. Sedi reservata maneat; seu, utrum inter Reservationes in Regulis Cancellariæ contentas comprehendantur etiam Parochiæ quæ sunt jurispatronatus sive ecclesiastici sive laicalis, vel tantummodo quæ sunt liberæ Episcopi collationis. — Quæstionem resolvat Canonista.*

Resp. Quamvis in jure nulla habeatur explicita exceptio quoad Beneficia j. p. laicalis, implicite tamen hæc exceptio continetur in Reg. 42 Cancell. apost. *de derogatione j. p.* Communis porro Canonistarum sententia, confirmata a constanti praxi S. Sedis, docet, sub Reservationibus generalibus non comprehendi Beneficia quæ sunt j. p. laicalis, vel mixti, ex fundatione, erectione, vel dotatione acquisiti. Licet enim Papa possit, non tamen solet, neque sine expressa mentione intendit derogare tali j. p. laicorum, ne a fundandis, ædificandis, vel dotandis Ecclesiis quoquomodo retrahantur. Secus dicendum, si j. p. laicis competat ex alio titulo, e. g. ex consuetudine, præscriptione, aut privilegio apostolico; hic enim cessat ratio modo allegata exemptionis. — Quod autem Beneficia j. p. ecclesiastici, vel capitularis collationis, sub pontificiis Reservationibus cadant, unanimiter affirmant DD., idque vel ipsi textus Reservationum ex-

plicite declarant.

Hinc dicendum, parœciam j. p. laicalis, de qua in casu, etsi mense Jan. idest papali vacaverit, reservationi non esse obnoxiam, si, ut supponitur, j. p. ex fundatione, erectione vel dotatione ortum sit: secus vero, si ex alio titulo derivetur.

Quæstio 3. *Quandonam Parochiarum collatio* per affectionem *S. Sedi reservata manet?*

Resp. Affectio dicitur actus, quo Pontifex suas manus in ordine ad alicujus Beneficii collationem apponendo, tacite atque ipso facto collationem ipsam ad se revocat, et inferiori ordinario collatori jus illius Beneficii pro ea vice conferendi adimit.

Hujusmodi Pontificiæ manus appositio præcipue habetur: 1° Cum Pontifex per suum Decretum Beneficium aliquod vacare decernit, ut si Beneficiatum de eo privet. 2° Cum Beneficium aliquod indirecte vacare contingit vigore Pontificiæ Bullæ, qua Beneficiatus ad aliud Beneficium incompatibile transfertur, vel promovetur. Si vero in fraudem hujus reservationis, qui a S. Sede aliud Beneficium incompatibile mox habiturus est, Beneficium quod nunc possidet ideo in manibus ordinarii collatoris dimittat, ne maneat postea affectum, ob hanc fraudem, tum Beneficium sic dimissum, tum aliud incompatibile a S. Sede obtentum, vacans et affectum manet. 3° Cum Beneficium in manibus Papæ sponte resignatur, vel de ipsius mandato resignari debet. 4° Cum Pontifex præveniendo, vel impediendo inferioris collatoris jus, Beneficium alicui confert, aut conferri jubet, vel a quacumque provisione ordinarium collatorem prohibet. 5° Demum, cum Papa de Beneficiò quovis modo disponit, ut si tribuat in commendam, vel Administratorem, aut Coadiutorem cum futura successione in eo deputet et constituat.

Quæstio 4. *Et quando jure* devolutionis?

Resp. *Devolutio* ad S. Sedem, quoad Parochialium Beneficiorum collationem, habetur: 1° quando inferior collator *non contulit Beneficium intra tempus a jure præfinitum,* idest intra sex menses a die vacationis, si Parochia est liberæ Episcopi collationis, vel j. p. eccles., aut mixti; intra quatuor vero menses, si est j. p. laicalis. Excipitur casus, quo Parochia vacaverit ob resignationem seu renuntiationem; tunc enim intra unius tantum mensis spatium omnimoda provisio facienda est, et intra sequens trimestre ejusmodi resignationis et provisionis publica-

tio fieri oportet, sub pœna nullitatis collationis, et devolutionis (Const. Greg. XIII *Humano vix.*).

2º Quando inferior collator *male contulit* Beneficium, idest, vel indigno contulit, vel non servata forma a Ss. canonibus præscripta. — Notandum autem, quod, etsi devolutio juris conferendi Beneficia generatim fiat servata gradatione ab inferiore collatore ad immediate superiorem; si agatur tamen de Beneficiis Parochialibus, jus collationis ad S. Sedem immediate transit, ex peculiari dispositione Const. S. Pii V *In conferendis.*

Casus II. *Mense episcopali vacarunt duæ Parœciæ, i. e. Parœcia S. Gervasii (quæ est liberæ Episcopi collationis) ob translationem illius Parochi ad aliud Beneficium Bulla Pontificia peractam, et Parœcia S. Protasii (quæ est jurispatronatus Communitatis) ob illius Rectoris obitum. Vulgato pro utraque Concursus Edicto, ad Parœciam S. Gervasii concurrit Ennius, qui ab Examinatoribus idoneus renuntiatur. Nemo autem pro Parœcia S. Protasii nomen dat, donec secundo atque tertio publicato Concursus Edicto, post septimum denique vacationis mensem, concurrit Osius, qui ab Examinatoribus approbatus, a Communitate plenis suffragiis eligitur. Quæritur, num possit Episcopus utrosque hos Parochos instituere?*

Resp. Neutrum Parochum Episcopus instituere valet: non Ennium approbatum pro Parœcia S. Gervasii, quia cum hæc vacaverit ob translationem illius Parochi Bulla pontificia peractam, *affectioni*, ac proinde reservationi obnoxia est; — non Osium approbatum et electum ad Parœciam S. Protasii, quia elapso tempore a jure præfinito, jus novi Parochi instituendi ad S. Sedem jam *devolutum* est. Quamvis enim in ceteris Beneficiis, ut devolutio fiat ob temporis lapsum, requiratur a jure negligentia ordinarii collatoris, in Parochialibus tamen, ex speciali derogatione supracitatæ Const. S. Pii V *In conferendis,* sufficit simplex præfiniti termini lapsus, quavis de causa procedat.

Quæstio 5. *Quomodo Juspatronatus definitur, et dividitur?*

Resp. Juspatronatus generatim definiri potest: complexus jurium et officiorum, ex concessione Ecclesiæ competentium tum iis, qui templum, vel Beneficium fundarunt, erexerunt, dotarunt, aut restituerunt, tum iis, qui ab eisdem causam habent, intuitu ejusdem templi, vel Beneficii. — Hæc quidem verior;

communior tamen juris p. definitio, præsertim in ordine ad Beneficia, sequens traditur: facultas præsentandi Clericum a Superiore ecclesiastico instituendum in Beneficium vacans.

Dividitur præcipue: *a)* in ecclesiasticum, laicale, et mixtum. *ecclesiasticum,* quod ex bonis eccles. exurgit, vel ecclesiastico titulo adhæret; *laicale,* quod bonis laicalibus, vel civili innititur; *mixtum,* quod ex utriusque constitutum coalescit. — *b)* laicale iterum dividitur in hæreditarium, et familiare: *hæreditarium,* quod hæredes quoscumque a lege vel testamento vocatos sequitur; *familiare* vel *gentilitium,* quod ad solos determinatæ familiæ descendentes restringitur: — *c)* in *reale* et *personale:* illud fundatur in re aliqua seu fundo, et ejusdem rei possessorem respicit; istud alicui personæ competit independenter a quacumque re vel fundo: — *d)* in *activum,* quod est facultas præsentandi; et *passivum,* quod est jus alicui competens, ut præsentetur: — *e)* demum in *privatum,* et *regium.*

Quæstio 6. *Quot modis, et quibus datis conditionibus acquiritur?*

Resp. Jus p. acquiri potest titulis *originariis,* et *derivatis.* Tituli *originarii* (de quibus in præsenti quæstione) sunt duo: *a) fundatio,* vel *ædificatio,* vel *dotatio* Ecclesiæ in qua erigitur Beneficium. Igitur, tum qui fundum pro ædificanda Ecclesia gratis dat, tum qui suis sumptibus eam ædificat, vel reædificat, tum qui jam extructæ sufficientem dotem assignat, vel Beneficium sufficiens in ea instituit, illius Ecclesiæ vel Beneficii patroni (seu compatroni, si plures simul hæc præstent), accedente Ordinarii consensu, efficiuntur. — *b) Apostolicum privilegium,* quod tamen authenticis documentis probari oportet. — A nonnullis recensetur etiam immemorialis legitima *præscriptio* multiplicium præsentationum actibus effectu secutis suffulta: sed præscriptio, quin titulum per se constituat, præsumptionem potius existentiæ primitivi alterius tituli ingerit.

Verum, ut patronatus jus ex fundatione, erectione, vel dotatione revera exoriatur, sequentes conditiones omnino concurrere debent: 1° ex parte Ecclesiæ, *consensus Ordinarii diœcesani,* qui tamen, si nihil aliunde obstet, eumdem consensum detrectare nequit. — 2° Ex parte patroni, *communio catholica:* quomodo enim patronus seu defensor jurium eccles. esse poterit, qui vel Ecclesiam Catholicam non recognoscit, vel ab ea divi-

visus est? Igitur j. p. incapaces sunt infideles, hæretici, et schismati[illegible] unque nominis et sectæ existant; insuper excommur[illegible] tamen jurispatronatus non habitu, sed exercitio priv[illegible]. Ex parte fundationis, erectionis, et dotationis, requ[illegible] fundandi, etc.; non enim sufficit animus dumtaxat bene[illegible]di: atque insuper *sufficientis dotis* assignatio; quamvis enim fundationis, erectionis et dotationis actus non requirantur copulative, sed disjunctive sufficiant, singuli tamen nonnisi post ceterorum executionem patronatus jus pariunt.

Casus III. *Parochialem cujusdam Plebis Ecclesiam, nimium angustam et præ vetustate collabentem, ejusdem Rector reædificare statuit. Sumptus porro pro ipsius constructione necessarios tum præcipue ex pecuniæ vi ab illius Communitatis ærario oblata, tum ex eleemosynis apud privatas Plebis familias collectis, comparavit. — Quæritur, utrum hujusmodi Ecclesiæ ædificatio alicui patronatus jus tribuat, an non.*

Resp. Ecclesiæ reædificatio, prout in enunciata Facti specie proponitur, nemini p. j. tribuit: non Parocho, qui non propriis, sed alienis sumptibus Ecclesiam reædificavit; non plebis familiis, quæ parum quid pietatis et religionis gratia singulæ obtulerunt; non Communitati, quæ opus non in se suscepit perficiendum, sed Parocho quamdam pecuniæ vim largita est, quacum ipse illud perficere posset. Deest proinde in omnibus intentio ex sese extruendi, cum in singulis non inveniatur nisi animus benefaciendi.

Quæstio 7. *Quot modis juspatronatus in alios transfertur?*

Resp. Tituli, quibus j. p. *derivate* acquiri, seu ab una in aliam vel alias personas transferri potest, quatuor præcipue numerantur: 1° *Successio hæreditaria,* vi cujus j. p. transit ad hæredes vel a lege vel a testamento vocatos, aut ad determinatæ familiæ descendentes, prouti hæreditarium est vel gentilitium. — 2° *Donatio* vel ipsius j. p., si est personale, vel fundi cui inhæret, si est reale. Donationi autem semper accedere debet Episcopi consensus, nisi ex eadem donatione j. p. de laicali ecclesiasticum fiat. — 3° *Permutatio,* quæ pariter cum consensu Episcopi fieri debet, et a quovis temporali lucro expers sit oportet, ita ut si j. p. sit reale, res absque pretii augmento permutetur; si personale, nonnisi cum alia re spirituali commutari possit. — 4° *Venditio,* non quidem juris patronatus (quod si-

moniacum esset), sed rei juspatronatus adnexum habentis, modo tamen intuitu ejusdem j. p. fundi pretium nulli[illegible]e augeatur, quod pariter turpem simoniam præseferret. [illegible]vis autem simoniacus contractus hac in re, præter excom. [illegible] P. reservatam, pœnam privationis juris p. ipso facto indu[illegible]

Sunt et alii tituli, quibus j. p. derivate acquir[illegible] uti *præscriptio, confiscatio* bonorum, *infeudatio*, etc.; sed cum hi hodiedum vix unquam contingere possint, eos tantum indicasse sufficiat.

Quæstio 8. *Et quibus de causis extinguitur, vel ejus exercitium amittitur?*

Resp. J. P. *extinguitur* radicitus, vel ob delictum patroni, vel absque delicto. — *Absque delicto: a) Cessione,* seu donatione ab ipso patrono in favorem Episcopi vel Ecclesiæ facta, accedente ipsius Episcopi consensu et acceptatione. *b) Præscriptione,* i. e. lapsu 40 annor. si j. p. est eccles., vel 30 annor. si est laicale, in quibus Episcopus libere, et nullo reclamante, Beneficium repetitis vicibus contulit. *c) Destructione Ecclesiæ,* vel *interitu dotis, aut Beneficii,* nisi a patrono Ecclesia, dos, aut Beneficium restituantur. *d) Extinctione subjecti legitimi,* i. e. familiæ, collegii, vel entis moralis, cui j. p. exclusive adnexum est. — *Ob delictum:* 1° *Occisione* vel *mutilatione* Rectoris aut alterius Clerici Ecclesiæ patronatæ, a patrono immediate vel mediate patrata. 2° *Simoniaca* jurispatronatus venditione aut translatione. 3° *Usurpatione* bonorum vel jurium Ecclesiæ vel Beneficii, aut *illicita perceptione vel dispositione fructuum,* itemque illicita sui immissione in ipsius Ecclesiæ vel Beneficii *administrationem.* 4° *Hæresi, apostasia,* et *schismate,* aut eorumdem patrocinio. 5° *Crimine* læsæ majestatis, aliove enormi inducente confiscationem bonorum, quibus j. p. accessorie adnexum est.

Exercitium jurisp., non vero ipsum jus, *amittitur* in singulis casibus, quoties patronus intra tempus eidem præfinitum neminem, vel etiam (si patronus sit eccles.) indignum præsentat. — *Suspenditur* vero idem jurispatronatus exercitium, si patronus incidat in excommunicationem sive reservatam, sive non, usquedum ab ea absolvatur; ac proinde si interea Ecclesia vel Beneficium vacare contingat, ab Episcopo libere conferri poterit.

Casus IV. *Petronius, quarundam legum favore utens, Ecclesiæ, cujus patronus est, bona sibi in proprietatem vindicat, firma*

tamen intentione ex ipsorum fructibus nedum necessaria, sed u-
n au ejusdem Ecclesiæ conservationem et decorem in po-
..cidendi. — Numquid Petronius dicendus est ob id pa-
s amisisse?

.. ffirmative. Petronius enim sibi vindicando bona Ec-
..tumque demum sit ejus intentio, quæ usurpationis
n non mutat), nullimode effugere potest pœnam excommunicationis et privationis juris patronatus a Conc. Trid. sess. XXII c. 11 de ref. statutam contra patronos, qui quovis modo aut prætextu præsumpserint usurpare, vel in proprios usus convertere jura, bona, reditus Ecclesiarum vel Beneficiorum, quorum patroni sunt. Absurdum est enim, juspatronatus, quod ex Ecclesiæ benignitate et privilegio unice derivat, consistere posse in ipsius Ecclesiæ spoliatore, et in bonorum ecclesiasticorum usurpatore et detentore.



EX SACRIS RITIBUS

Quæstio 1. *Quid intelligendum sub nomine* [illegible]

Resp. Translatio est accidentalis remotio festi [illegible] sua sede, ejusque collocatio in aliam diem liberam, pr[illegible]rentiam alterius festi, majori dignitate, festivitate vel [illegible] præditi. Dicitur accidentalis; si enim nova sedis adeptio stabilis ac perpetua esset, vocaretur *dies assignata*:

Quæstio 2. *Et quomodo intelligenda generalis Rubrica:* transfertur in primam diem non impeditam?

Resp. Intelligi debet in diem ab officio novem lectionum liberam; quo nomine comprehenditur etiam Dominica, juxta Decr. S. R. C. 12 Mart. 1618. Dies tamen infra octavam non privilegiatam, licet novem habeant lectiones, liberi censentur respectu translationis alicujus festi duplicis atque etiam semiduplicis (si agatur de die immediate sequenti), quod incidat vel in Dominicam infra octavam, vel in festum duplex octavam bens, vel in festum duplex infra eamdem octavam recurrente. — Insuper inter dies liberas pro translatione alicujus festi duplicis vel semiduplicis adnumerantur festa simplicia sive de Sancto, sive de Vigilia (exceptis Nativitatis, Epiphaniæ et Pentecostes), sive de S. Maria in Sabbato; nec non festa quæ dicuntur *ad libitum,* tum duplicia, tum semiduplicia a S. Sede approbata. Hæc autem juxta Decr. S. R. C. diei 24 Jan. 1628 si occurrant in diebus dominicis, octavis et natalitiis Sanctorum alicujus Religionis vel Diœcesis, ex vi Calendarii proprii a Sede Apostolica approbatis, non sunt transferenda, sed omitti debent. — Si autem occurrant eadem die in qua alias aliquod festum translatum poni deberet, liberum est eadem officia *ad libitum* recitare, et officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre, (intellige, dummodo tam illis, quam translatis reponendis remaneat in Calendario locus). — Si vero eadem officia sint quidem duplicia aut semiduplicia *ad libitum,* sed simplicia *de præcepto* (prout est officium S. Remigii Ep. C. die 1 Oct.), de iis saltem ritu simplici agendum est.

Casus I. *Leonardus in quodam kalendario die prima Octobris*

...niduplex translatum reperit cum commemoratione S. Re- ...scopi et Confessoris. De errore incusat kalendaristam ex ...rticularis rubrica breviarii duo tantum enumerat casus, ...de S. Remigio sola fit commemoratio; nempe si occur- ...t, vel in die infra octavam. Est ne damnandus in ...Leonardus?

...amnatorium judicium ferendum est, ex supra dictis, ...um, minime vero in Calendaristam, qui nedum circa pecu... Rubricas Breviarii, sed etiam circa S. R. C. Decreta eruditum se ostendit.

Quæstio 3. *Quæ dicitur translatio fixa, quæ accidentalis?*

Resp. Cum duo vel plura simul semper occurrant officia Sanctorum, et unius vel plurium fieri debeat translatio propter hujus occurrentiæ impedimentum, minus dignis altera sedes perpetuo est assignanda; quæ mutatio, translatio fixa vocatur, seu *assignata dies.* — Accidentalis vero translatio habetur, ut superius dictum est, cum officium a propria die amotum propter occurrentiam festi superioris, in alteram diem liberam reponitur intra anni finem; anno autem transacto, ad suam sedem redit.

Quæstio 4. *Cum aliquod Festum minori præditum dignitate quotannis occurrat cum præstantiori, est ne transferendum juxta rubricarum leges, vel ei assignanda aliqua dies fixa?*

Resp. Non est transferendum juxta rubricarum regulas, sed illi festo minori dignitate prædito assignanda est dies fixa extra Dominicam, prout ex Decr. S. R. C. diei 22 Maj. 1744 sic habente: *qui dies habeantur et sint in posterum sedes fixa talium translatorum.* Hæc autem translatio prima vice in propria Diœcesi potest fieri ab Episcopo Sacra Congregatione inconsulta (S. R. C. 22 Apr. 1741 in Wilnen. ad 7). Sed qua die? In primam liberam, non ante, sed post eam, quæ officii erat propria, ut clare ex sequenti Decreto eruitur: *Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet festo a sua die ob perpetuum impedimentum translato* (S. R. C. 22 Aug. 1744 in Frisingen.).

Casus II. *Parochus quidam novæ parœciæ, cum octava sui Titularis festum occurrens duplex majus quotannis impediat, in die proximiori natalitio Sancti hujusmodi, quæ est septima infra octavam memorati Titularis, et quam liberam reperit, sedem fixam eidem assignat. Numquid recte ac juxta liturgicas leges?*

Resp. Solutionem præbent Decreta quæ attulimus: etenim contraleges liturgicas operatus est Parochus noster, qui diem fixam assignavit sponte sua, Episcopo inconsulto, et quidem anteriorem, potius quam posteriorem die natalitio Sancti ab octava sui Titularis quotannis impediti.

Quæstio 5. *Quænam Festa transferri possint?*

Resp. Generatim loquendo festa omnia, quæ ritu duplici primæ et secundæ classis; item festa duplicia majora et minora, ac semiduplicia de præcepto; reliqua officia repositioni non subjiciuntur. Si autem ex iis duo simul occurrant celebranda, dignius propria die colitur, et minus dignum ad aliam diem transfertur, nisi ob diei liberæ intra anni finem deficientiam una cum digniori celebrandum sit per simplicem commemorationem, juxta Decr. S. R. C. 27 Aug. 1836 in Capuana.

Quæstio 6. *Et quo ordine festa translata reponi debeant?*

Resp. Quod attinet ad ordinem servandum in translatione Festorum, ante omnia attendi debet ad eorum dignitatem et ritum, cujus solemnitas exprimitur per ea verba: *duplex I classis, et II classis, vel duplex majus.* In ritus paritate major dignitas; in ejusdem diversitate, ritus solemnior præfertur. Hinc in translatione præferenda sunt, primo duplicia primæ classis, deinde duplicia secundæ classis, tertio duplicia majora, quarto minora, ac demum semiduplicia. Nedum tamen inter festa solemniora, sed etiam inter duplicia minora, illud officium præferri debet, quod intrinseca præ aliis gaudet dignitate, ut v. g. festum Ss. Angelorum Custodum, festum S. Raphaelis Archangeli, Commemoratio S. Pauli Ap., quæ ob dignitatem intrinsecam, aliis duplicibus minoribus præponuntur. Festa autem Apostolorum non præferuntur festis Evangelistarum in paritate ritus, quia inter se æquiparantur. (S. R. C. 17 Jul. 17.. Decr. Gen.). Item, si reponendum sit festum gaudens octava, diesque libera intra eamdem octavam occurrat, festum illud in eamdem liberam diem reponi debet, etiamsi aliud festum potioris ritus transferendum esset (S. R. C. 12 Apr. 1823). Semiduplicia, prout dictum est, post duplicia omnia sunt reponenda. Excipitur nihilominus semiduplex occurrens in Dominica infra octavam, si sequens feria secunda sit libera; tunc enim præfertur etiam festis primæ classis, eademque secunda feria reponitur (S. R. C. 16 Sept. 1702). Cætera duplicia minora et semiduplicia eo or-

dine re onuatur, quo celebranda fuissent diebus propriis: nec . . . utrum officium transferendum sit peculiare alicujus E... siæ particularis, vel Diœcesis, vel Nationis, aut potius pro... sit Ecclesiæ universalis (S. R. C. 5 Maj. 17..7).

Casus III. *In Appendice Variationum pro pluribus Ecclesiis, q... Directorio diœcesano elapsi anni typis data fuit, T... e... occurrisse putavit sub N. XI; Festum enim Commemoratio... Apostoli ritus duplicis tantum minoris translatum ... Festum S. Zenonis Episcopi et Martyris item ritu dupl... minori præditum. Illud enim occurrit die 30 Junii, istud vero die 12 Aprilis. Recte ne?*

Resp. Ex supradictis colligitur, in Diœcesani Calendarii Appendice non irrepsi... orem circa translationem Com memo... S. Pauli Ap., ... in Ecclesia universali ritum dumtaxat minorem obtinet (S. R. C. 11 Sept. 1847), ... relatione tamen gaudet super ali... ...iis ritus duplicis minoris antea translatis, et in casu ... pro super festo S. Zenonis Episcopi et Martyris.

Quæstio 7. *Festa Mobilia certis assignata Dominicis vel Feria... ut ne indiscriminatim privilegio translationis?*

Resp. Ex lege generali ea tantummodo festa mobilia privilegio gaudent translationis, quæ ad universam spectant Ecclesiam, et in corpore Breviarii consignata sunt, ex. gr. Officium Ss. Rosarii B. M. V. primæ Dominicæ Octobris affixum. — ... peculiari tamen indulto transferri possunt Officia, quæ pro ... ri quodam Statu sunt præceptiva, cujusmodi sunt ... B. M. V. pro Statu Ecclesiastico a sa. mem. Benedicti XIII ... et certis Dominicis vel feriis affixa (S. R. C. 5 ... ...sindl. ad 10). — Officia vero mobilia aliquibus ... Diœcesibus concessa, si propriis diebus impedi... ferri nequeunt absque speciali S. Sedis privilegio (S. R. C. ... Aug. 1839). — Notandum denique, quædam festa mobilia, sive generalia, sive particularia quæ in Quadragesima occurrunt, et translationis indulto gaudent, nonnisi intra eamdem Quadragesimam reponi posse, in qua si dies liberi desint, eadem festa eo anno omittuntur. Hujusmodi sunt Festum Septem Dolorum B. M. V., atque Officia mysteriorum seu instrumentorum Passionis D. N. J. C. (S. R. C. 11 Sept. 1847).

Quæstio 8. *Et si perpetua fieri deberet translatio, qua die*

f sta impedita erunt reponend i, et celebranda?

Resp. Festa, quæ fixe transferri debent, juxta ... Rubricarum legem reponenda et celebranda sunt ... in diem liberam, quæ subsequitur, minime vero quæ ... propriam in Calendario descriptam. Hac eadem ... festa ... ntur. Advertendum tamen est pro M... Dominicis assignatis, ... uod prima dies ... ea, quæ post hebdomadas ... pectivæ latitudinem ... va- cua, ne unquam conting... t ante Dominicam iis assignatam celebrentur. Quapropter, ... gr. Officium Ss. Rosarii B. M. V. sit perpetuo transferendum, ... statuenda est non quidem pri- ma aut quinta dies Octobris, quamvis liberæ, sed d... post septimam ejusdem mensis ... (S. R. C. ... in Wilnen. ad 3).

Casus IV. *Cum Officium ... Dolorum B. M. V. ... occurr... Annuntiationis ... in feria 6 post ... minican... nis, et Sabbato subsequenti ob alia ... præstantioris ... 26 Martii assignatum, iis diebus ... ipsi ... lationem prætermisit Calendarista. — Dein ... reate quoque in prima Dominica Octobris Festum Dedica... ne Eccle... ficio Solemnitatis Ss. Rosarii non diem primam in kale... neque quintam post Kalendas pariter liberam, ... mam, quæ est tertia libera, assig... rit. Rudulphus ... de inscientia liturgica Directorii exten... incusat. — Num merito?*

Resp. Optime egit Calendarista ... prætermis... latione festi Septem ... B. M. ... cujus celeb... Quadragesimam vetatur a Decr. S. R. C. diei 20 No... Landen.; tum in assignatione diei duodecimæ Octob... ficio Ss. Rosarii B. M. V., quæ est prima va... in ... lendario post septimam, juxta supracitatum Decret. ...

Bellun, die 7 Martii 1880.
Imprimatur.
✠ SALVATOR EPISCOPUS

